

40) *E. labiatum* Rchb. fil.: tepalis quam sepala bene latioribus cuneato oblongis obtusatis, labello oblongo trilobo antice valde crispo. — Planta magnopere polymorpha, ab ill. Lindley ut a me in species plures divisa, sed haud ita fauste, cum characteres constantes adesse non videantur. Inter tot centurias florum, quos inspexi vidi multa, quae pro bonis notis haberi potuissent. Ita exstant stigmaticae foveae vario ambitu. Ita antherae nunc vertice calvae, nunc vertice gibbere mediocri, nunc imo gibbere maximo donatae. Ita dens posticus androclinii nunc deest, nunc valde est extensus, nunc imo cuculliformis supra antheram incumbit. Hodie jam hanc synopsis propono duplicem.